AUGUSTINUS

Klosterneuburg, Ende 12. Jh. Seite 4r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



sic numerat. dixit deus. fiat. et facta sunt. Si
dixit. quis dixit. Utique deus. Et quid factum est.
Creatura aliqua. Inter dicentem et dictum facta est
creatura. Quid est per quod factum est nisi verbum. quia
dixit deus hoc verbum incommutabile. et factum est.
Quamvis mutabilia per verbum fiant. ipsum
incommutabile est. Noli ergo credere factum
per quod facta sunt omnia. ne non reficiaris per verbum
per quod reficiuntur omnia. Iam enim factus es per
verbum. sed oportet te refici per verbum. Si autem
mala fuerit fides tua de verbo. non potes
refici per verbum. Et si tibi contingit fieri per verbum
ut per illud factus sis. parte deficies. Et
si parte defeceris. ille te reficiat qui te
fecit. Si parte deterior efficeris. ille te
recreet qui te creavit. Quomodo te autem recreet
per verbum. si male aliquid sentias de verbo.
Euglista dicit in principio erat verbum. et tu
dicis in principio factum est verbum. Ille per
ipsum omnia facta sunt dicit. et tu dicis. quia ip
sum verbum factum est. Potest dicere euglis
ta. in principio factum est verbum. Sed quid
ait. In principio erat verbum. Si erat.
non est factum. ut ista omnia per ipsum fierent.
et sine ipso nichil. Si ergo erat in princi
pio verbum. et verbum erat apud deum. et deus erat
verbum. si non potes cogitare quid sit. dif
fer ut credas. Ille cibus est. accipe lac
ut nutriaris. ut sis validus ad capien
dum cibum. Sane fratres quod sequitur. omnia per
ipsum facta sunt. et sine ipso factum est
nichil. videte ne sic cogitetis quasi
nichil aliquid sit. Solent enim multi male
intelligentes sine ipso factum esse nichil.
putare aliquid esse nichil. Peccatum enim non per
ipsum factum est. et manifestum est quia pecca
tum est nichil. et nichil fiunt homines cum pec
cant. Et ydolum per verbum factum non est. Habet
quidem formam quandam humanam. sed ipse homo
per verbum factus est. nam forma hominis que in ydo
lo est. non per verbum facta est. Scriptum est enim.
Scimus quia nichil est ydolum. Ergo ista non sunt
facta per verbum. sed quecumque facta sunt naturaliter.
quecumque sunt in creaturis. omnia omnino que
fixa in celo sunt. que fulgent desuper. que vo
litant sub celo. et que movent. universa
creatura rerum. omnis creatura. dicam planius.
dicam fratres ut intelligatis. ab angelo usque
ad vermiculum. Quid preclarius angelo in
creaturis. Quid extremius vermiculo in
creaturis. Per quem factus est angelus. per ipsum fac
tus est et vermiculus. Sed angelus dignus est
celo. vermiculus terra. Qui creavit. ipse
disposuit. Si poneret vermiculum in
celo reprehenderes. si vellet angelos
nasci de putrescentibus carnibus reprehen
deres. et tamen hoc facit deus. et non est rep
hendendus. Nam omnes homines de car
ne nascentes quid sunt nisi vermes. Et de
vermibus angelos facit. Sic enim ipse
dominus dicit. Ego autem sum vermis et non homo.
Quis dubitat hoc dicere quod scriptum est
in iob. quanto magis homo putredo. et filius
hominis vermis. Primum dixit. homo putredo.